

CARMEN NATALICIUM

altor insomnis pueri docentis
dura Silenus iuga ferre tigres
dum flagellantes humeros capillos
spectat Iacchi,

crine nudatum caput ipse vinctus
frontium doctarum hedera sodali
sic sacro quondam cecinit movente
ora furore:

‘o mei multum similem pioque
deditum Actaei studio cothurni,
qui meo gratam celebrabit artem
navus alumno,

nec minus scenae leviora curans
amne Lethaeo satyros vagari
solvet agresti solitos per alta
pulpita saltu;

quin et austera gravitate plenam
pandet interdum tragicam Camenam
non recusantem tenuare molli
grandia risu,

nec poetarum numerum recentum
negleget, quicumque Heliconis almi
carpserint aevum redolens in omne
flore cacumen;

cuius ingenti memores labore
posteri fient operum Minervae,
quae prius multo fabricarit aetas
prospera Grais.

prae tot ac tantis meritis modestum
tamque devotum sociis et ipse
vix Orestes et Pylades negaret
nactus amicum.

auguror, Bernarde, tenebis olim
praeter amplexus paterasque laetas
luce natali tibi dedicatas,
inclyte, chartas'.

D. K.